



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvr gensis

Continens. Fvndationes Et Erectiones Monasteriorvm, Et Ecclesiarum  
Collegiatarum, &c. per Boiarum, ac loca quædam vicina

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

De sylua Hasenpach vsque Remtal infra Schaidvveg.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13591**

*Hainoldus; Sifridus in foro, Engelfridus Heinr. cognomine Dux, Ortovinus pro locutor, Leupoldus Wechsler, Hermannus Vauch, Eberger, Meinhardus & pater eius Pitrolfus, Aigilo, Sigmarus de Stein, Vvicus Strudel, Vto Ekhardus Gerungus Rapoto Vngefmach, Albero Munt Aeschvvein Marquardus Vmitor, Heinr, Zuglinch, Heinr. Muter, Albohus Rudolfus Steinb, Fridericus. Acta sunt hæc VIII. Kln. Aprilis anno ab incarnatione Domini M. C. XCVI. Indictione XIV. regnante inuictissimo Romano; rum augusto Heinr. anno autem Imperij eius VI.*

### De sylua *Hafenspach* vsque *Rental* infra

*Schaidvveg.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Tiemo* Dei gratia *Baben*. Ecclesiæ humil. Eps Remunerationis Dominicæ nos amonet intuitus & hortatur, quem admodum & compassio naturæ inducit, ut eos qui nullo seu mediocri aut minus sufficienti, fulciuntur amuniculo, dum tamen facultas suppetat, in suis comodatib. studeamus promouere, præsertim cum ad promerendam promissæ nobis propriæ gloriam si per nos promoti fuerint hoc nobis non dubitemus ad profectum mercedis æternæ profuturum. Notum ergo esse desideramus tam præsentis ætatis quam successuræ posteritatis vniuersis Christi fidelibus, quod nos considerata in Monasterio nostro *Osterhouen* lignorum penuria portionem quondam syluæ nostræ memorato cœnobio adiacentem, & nobis minus vtilem Beatæ *Margaretæ*, Virg. & M. in perpetuitatem & vsum perpetuum fratrum ac sororum in diuinis obsequiis die noctuque inibi desudantium instinctu diuino iuste & legitime contulimus, hoc tamen inducentes, ut in posterum oïum prædecessorum ac successorum nostrorum nostræque paruitatis memoria ibi haberetur. limites tamen huius donationis, sic distrinximus à *Valle Hafenspach*, sicut diuidit via quæ dicitur *Schaidenrvech*, vsque ad locum qui *Rental* dicitur. Hoc itaq; factum nostrum si quis infringere seu violare attemptauerit anathema sit, & cum maledictis igne torqueatur æterno. Sed ut firmum & inuiolabile permaneat, sigilli nostri munimine constituimus roborari. Huic rei testes sunt *Chunr*, vener. Abbas de *VVindberg* *Goteboldus*, *Chunr*. Capellani *Poppo Eschvov*, *Coteboldus* de *Osterhouen*. *Altmannus* de *Helgersberg*, *Rapoto* & *Dietricus* de *Poding*, *Eberhardus* & *Chalobus* de *VVinzer*, *Rudiger* de *Ebering* *Ervinus* de *Zeidlarn*, *Ezelo* de *Aming* Datum anno Dominicæ incarnationis M. C. XCVIII. Acta sunt hæc petitione & interuentu Domini *Gerung* venerabilis Præpositi *Osterhouen* Cenobij.

### De *Muta* & *Thelon*. in *Austria*.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. *Leupoldus* Dei gratia Dux *Austria* & *Styria*, omnibus Christi fidelibus salutem in perpetuum. Pater noster Beate memoriæ Dux *Leupoldus* damnum quod in itinere cum *Ortenburch* obsideret Ecclesiæ in *Ostenhouen* ac fratribus intulit, ipsis in aliquo recompensare cupiens in extremis pia suis amonitione instructus filio suo beate memoriæ fratri nostro Duci *Friderico* commisit, ut id ipsum quod morte præoccupatus facere non potuit, frater noster loco sui prosequeretur, frater igitur noster pro remedio patris nostri præfatæ Ecclesiæ ac fratribus donauit ut bona ipsorum vbi que apud *thelonea* siue *mutas* suas absque vedigali & eo quod dicitur *Sürfart* & penitus absque omni iuris perfolutione libere tam per terram quam per aquam ducerentur, eis super hoc priuilegij sui cautelam impendens. Nos itaque parentum ac prædecessorum nostrorum in bene actis vestigia sequi cupientes pro salute animæ patris & fratris nostri, nec non & nostræ prædictis fratrib. hoc ipsū donam⁹, videlicet *Muta* & *Sürfart* & præsentī pagina sigilliq; nostri impressione subscriptioneq; testū, quorū nomina sunt hæc id ipsū eis confirmamus.